## De nativitate eiusdem perpetue virginis.

Nativitas beatissime virginis marie matris domini olim non agebatur. sed divinitus revelata tali modo predicatur. Solitarius quidam sancte vite fuit. qui singulis annis armoniam in celo nocte nativitatis eius audivit. Qui cum miraretur quod alio tempore hoc non audiret. huius rei noticiam a domino demonstrari sibi supplicabat. Cui angelus domini apparuit. qui ei talia retulit; Virgo perpetua que dominum genuit. hac nocte genita fuit. Quod licet ab hominibus ignoraretur. ab angelis celebre habetur. Qua revelatione divulgata. eius nativitas celebrari ab ecclesia est instituta.

## Devotio sancti odilonis abbatis cluniacensis.

Beatus odilo cluniacensis abbas et sacerdos sanctus circa beatam dei genitricem tam ardentissima devotione flagrabat. ut consuetudinis in choro psallentium. cum ad illum veniret ex modulamine alternatione versiculum. tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti virginis uterum. in terram se repente prosterneret. sic et per corpus ostenderet. quibus desiderii celestibus interiore sensibus estuaret. Hugo de sancto victore

Si monachus es. cur gratiam huius cupis hominum et rerum mundanarum. Et quid facis in turba. si silentium amas. Cur te mundanis interesse delectat. Tu semper lectionis et fletibus insistere debes; et phylozophari queris. Simplicitas monachi phylozophia est. Sed dicis. docere alios volo. Non tuum est docere sed plangere. Si doctor esse desideras. audi quid facias. Vilitas habitus tui et simplicitas vultus. et innocentia vite. et sanctitas tue conversationis. ~~debent~~ debent docere hominem. Melius fugiendo mundum homines doces. quam sequendo.

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-2284/0132
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt